

Nec dicas, haec propositio, *unus de trinitate passus est*, fuit damnata a Felice III. S. P. *Respond.* enim quod non fuerit damnata in sensu obvio, in quo est vera et catholica, sed damnata fuit in sensu Petri Gnaphaei et aliorum Eutyechianorum, qui cum docerent divinitatem solam, humanitate penitus absorpta, remansisse in Christo, existimabant divinitatem carni factam consubstantialem, vere passam esse, quod est haereticum.

Resp. 2. Non datur in Christo communicatio idiomatum in abstracto, ut fides docet contra Eutyechianos, Ubiquistas. Nam quae realiter a se invicem distinguuntur, non possunt de se invicem praedicari, nisi in aliquo communi subjecto, seu supposito uniantur; atqui duae naturae in Christo et earundem proprietates realiter distinguuntur, nec in ullo communi subjecto uniantur, quando considerantur in abstracto; ergo. Unde de humanitate Christi dicitur Math. ult. *Non est hic, surrexit enim, &c.*

Obijcies 1. Quando duo inseparabiliter uniantur, ubicumque unum illorum est, ibi debet esse et alterum; atqui Verbum et humanitas inseparabiliter uniantur, et Verbum est ubique: ergo humanitas Christi est ubique.

Resp. Dist. maj. Si haec duo uniantur adaequate et totaliter, *conc. inadaequate, nego maj.* Sic quia humanitas Christi non adaequat immensitatem Verbi, ideo ubi illa reperitur, reperitur etiam Verbum: sed non ubicumque est Verbum, est etiam humanitas.

Obijcies 2. Haec propositio est vera: *Christus, seu, hic homo, qui est Christus, est ubique*: ergo et ista: *Christus, ut homo, est ubique*.

Resp. Nego conseq. Disparitas est, quod in prima prop. *homo*, supponit pro supposito, quod est immensum et ubique; in secunda vero, *homo*, propter particulam *ut*, supponit pro sola humanitate, quae, cum sit finita, non potest esse ubique.

DISSERTATIO II.

De termino totali Incarnationis, seu de Christo.

Nota. In Christo perpendi possunt: scientia; gratia; dona ac virtutes; libertas; meritum; satisfactio; varii tituli ac officia; adoratio ipsi debita, et tandem Mater.

CAPUT I.

De scientia Christi.

Quaeres 1. *Utrum fuerit in Christo scientia creata?*

Resp. affirm. Nam anima rationalis in Christo non fuit sine sua propria operatione, alias fuisset imperfecta, utpote frustrata sine propter quem est: atqui propria animae rationalis operatio est cognitio et scientia; ergo.

Obijcies. Frustra fit per plura quod potest fieri per pauciora; ergo, cum Christus omnia cognoverit per scientiam divinam, scientia creata fuit inutilis.

Resp. Dist. ant. Quando fit per eandem facultatem, *conc. quando fit per diversas facultates, nego ant.*

Quaeres 2. *Quotuplex sit scientia creata?*

Resp. Triplex, scilicet, *beatifica*, quae in clara Dei visione posita est. *Infusa*, quae a Deo liberaliter infunditur, absque ullo humanitatis actu. Et *Acquisita*, quae propriis naturae viribus, successu temporis, comparatur.

Quaeres 3. *Utrum Christus, ut homo, habuerit scientiam beatificam?*

Resp. affirm. Nam Christus, Joan. 8. dicit: *Si dixero quoniam nescio eum, (Patrem), ero similis vobis mendax, sed scio eum et sermonem ejus servo*: hic Christus loquitur de seipso ut homo est, ut probant haec verba:

Sermonem ejus seruo. Atqui asserit se scire Patrem; scire autem, est rem clare et intuitiue cognoscere: qui enim clare et intuitive non videt, credit, non novit, nec scit; ergo.

Objicies. Christus in terris erat viator; ergo non potuit est visione beatifica. . . . *Resp.* Erat viator simul et comprehensor. Erat viator respectu impassibilitatis et immortalitatis sui temporis, quam debuit mereri, Lucae 24. *Oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam,* id est, corporis sui. Erat comprehensor respectu visionis beatificae, qua potiebatur.

Inst. Visio Beatifica cum maximo dolore, maximeque tristitia, non potest compati; atqui Christus maximos dolores, maximamque expertus est tristitiam.

Resp. Dist. maj. Naturaliter, *conc.* per miraculum, *nego.* Porro Christus per miraculum cohibuit vim delectationis, quam sua anima percipiebat ex Dei fruitione, ut ipsa posset tristitiae affectionem percipere.

Quaeres 4. *Utrum Christus, ut homo, habuerit scientiam infusam?*

Resp. affirm. Nam Christus fuit vir perfectus. Hierem. 31. *Novum creavit Dominus super terram, foemina circumdabit virum.* Atqui non fuisset vir perfectus, si more caeterorum hominum, ad plenam rerum omnium scientiam debuisset paulatim, et quasi per aetatis gradus pervenire; ergo. Unde Apostolus, *Coloss. 2.* de Christo, ait: *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae.*

Objicies. Per scientiam beatificam cognoscuntur omnia, quae cognosci possunt per infusam; ergo haec inutilis est.

Resp. Dist. ant. Cognoscuntur, diverso modo, *conc.* eodem modo, *nego.* Nam per scientiam beatificam res cognoscitur in essentia divina; at per scientiam infusam res cognoscitur in se, seu in propria specie; hic autem cognoscendi modus Christum decebat, sicut et

deceat, ut videret oculis corporeis, quod mente per scientiam beatificam videbat.

Quaeres 5. *Quandonam humanitas Christi fruita est utraque illa scientia, beatifica et infusa?*

Resp. Fruita est a primo conceptionis instanti. Quia utraque illa scientia ipsi debebatur vi suae unionis hypostaticae cum Verbo; atqui a primo instanti conceptionis anima Christi fuit unita Verbo; ergo.

Quaeres 6. *Utrum Christus, ut homo, habuerit scientiam acquisitam?*

Resp. affirm. Nam Lucae 2. de Christo dicitur: *Proficiebat aetate et sapientia;* atqui non proficiebat sapientia infusa, ea enim in ipso fuit a primo conceptionis puneto; ergo proficiebat sapientia acquisita. Et Hebr. 5. *Cum esset Filius Dei, didicit ex eis quae passus est, obedientiam,* id est, quam arduum esset exequi quae Deus ab eo postulabat.

CAPUT II.

De gratia, donis, ac virtutibus Christi.

Quaeres 1. *Utrum fuerit in Christo gratia unionis?*

Resp. Fuit gratia unionis per quam ejus humanitas sanctificata est sanctitate substantiali: nam sanctificari substantialiter, est habere esse divinum sibi substantialiter unitum; atqui humanitas Christi per unionem hypostaticam, habet esse divinum sibi substantialiter unitum; ergo.

Objicies 1. Verbum non communicat humanitati suam immensitatem, aeternitatem, &c. ergo nec suam sanctitatem.

Resp. Nego conseq. Disparitas est, quod humanitas sit capax recipiendae sanctitatis substantialis, quae nihil aliud est, quam sui unio hypostatica cum Verbo; econtra cum sit finita et limitata, non est capax aeternitatis et immensitatis recipiendae.

Objicies 2. Humanitas Christi est tam capax divinae potentiae et scientiae, quam sanctitatis; atqui Verbum non communicat humanitati omnipotentiam et omniscentiam; ergo, &c.

Resp. Dist. maj. Disparitas est, quod sanctitas se habeat per modum rei cujusdam moralis, subjectum moraliter afficientis, ob quam dignum censeatur, quod diligatur a Deo, et jus habeat ad aeternam beatitudinem, quae omnia non praesupponunt aliquam formam intrinsece existentem; at vero omnipotentia et scientia se habent per modum rei physicae, subjectum physice afficientis, quod praesupponit formam intrinsece inexistentem, sive per identitatem, sive per informationem; et ideo humanitas in Christo potest participare sanctitatem Verbi, in se moraliter derivatam, non potest autem participare omnipotentiam aut omniscentiam, quae ipsi nec possunt identificari, nec inhaerere.

Quaeres 2. Utrum Christus ut homo habuerit gratiam habitualem?

Resp. affirm. Nam Joan. 1. dicitur: *Verbum caro factum est... plenum gratiae et veritatis.* Atqui illa plenitudo intelligitur, tum de gratia substantiali Christi, tum de gratia habituali, quae tanta fuit, ut major non potuerit dari de lege ordinaria; ergo, &c. Hinc D. August. lib. 15 de Trinit. cap. 26. ait: *Dominus ipse Jesus non solum Spiritum Sanctum dedit ut Deus, sed etiam accepit ut homo; et propterea est plenus gratiae, quia unxit eum Deus Spiritu Sancto, non utique oleo visibili, sed dono gratiae, quod visibili significatur unguento, quo baptizatos ungit Ecclesia.* Ubi S. Doctor manifeste loquitur de gratia adventitia spirituali.

Objicies 1. Gratia habitualis reddit subjectum in quo est, Filium Dei adoptivum; atqui Christus non potest esse Filius Dei adoptivus; ergo.

Resp. Dist. maj. Si subjectum, in quo recipitur, sit capax filiationis adoptivae, conc. si illius non sit capax,

ut revera non est capax Christus, etiam ut homo est, quia nimirum est Filius Dei naturalis, *nego ant.*

Objicies 2. Gratia habitualis non erat Christo necessaria; ergo.

Resp. Dist. ant. Absolute, conc. ut comaturaliter eliceret actus supernaturales et meritorios, *nego ant.*

Inst. Gratia habitualis non ordinatur ad operationem; ergo non fuit necessaria Christo ad actus supernaturales eliciendos connaturaliter.

Resp. Dist. ant. Non ordinatur ad operationem primario et proxime, conc. radicaliter et secundario, *nego ant.* Equidem gratia habitualis primario et proxime ordinatur ad sanctificandam animam et eam efficiendam Deo gratam; verum secundario et radicaliter ordinatur ad operationem, quatenus virtutem animae confert ad producendos actus supernaturales.

Quaeres 3. Utrum gratia Christi habitualis fuerit infinita?

Resp. Non fuit infinita physice, quia est creata; sed fuit infinita moraliter, id est, juxta quamdam aestimationem moralem, propter conjunctionem cum personalitate Verbi.

Quaeres 4. Quasnam insuper gratias Christus habuerit?

Resp. 1. Habuit gratiam actualem, non quidem excitantem, quia semper vigil et ad optima quaeque erectus fuit, sed cooperantem, qua eguit ad actus supernaturales eliciendos.

Resp. 2. Habuit omnes gratias datas, nempe gratiam sanitatum, operationem virtutum, genera linguarum, &c.

Resp. 3. Habuit omnia dona Spiritus Sancti: *Isaiae 2. Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiae et intellectus; Spiritus consilii et fortitudinis; Spiritus scientiae et pietatis; et replebit eum Spiritus timoris Domini.*

Quaeres 5. *Utrum virtutes Theologicae fuerint in Christo.*

Resp. 1. In Christo fuit *charitas*: nam vel est quid idem cum gratia habituali, ut volunt Scotistae; vel ejus individua comes, ut volunt Thomistae.

Resp. 2. In Christo non fuit *fides*, quia statui beatitudinis adversatur, propter ejus obscuritatem, nec *spes*, quia fides est fundamentum spei; ergo ubi non est fides, nec est spes.

Quaeres 6. *Utrum omnes virtutes morales infusae fuerint in Christo?*

Resp. affirm. Nam simul cum gratia habituali infunduntur.

Quaeres 7. *Utrum omnes virtutes morales acquisitae fuerint in Christo?*

Resp. Eae virtutes, quae peccatum non supponunt, fuerunt in Christo. Quia animam ejus perficere ac rite instituere poterant ad opera legi naturae consentanea exercenda intra limites ejusdem legis.

Hinc 1. *Temperantia* non fuit in Christo, quatenus importat resistentiam pravis concupiscentiae motibus, quia sic peccatum supponit; sed solam quatenus dicit ab continentiam ab omni voluptate venerea.

Hinc 2. *Poenitentia* non fuit in Christo, quatenus dicit dolorem de peccatis propriis; sed solum quatenus dicit principium actus, quo dolemus de peccatis alienis et offensa Dei.

CAPUT III.

De libertate, et merito Christi.

Quaeres 1. *Utrum Christus fuerit liber circa praecepta legis naturalis?*

Resp. 1. Non fuit liber quoad substantiam rei imperatae; quia rem lege naturali praeceptam non potuit omittere, aut rem eadem lege prohibitam ponere.

Resp. 2. Fuit liber quoad motivum et circumstantias rei imperatae; quia nec motivum actus, nec ejusdem circumstantiae imperantur; ergo, &c.

Quaeres 2. *Utrum Christus in subeunda morte a Patre praecepta fuerit liber?*

Resp. affirm. Nam 1. Christus, Joan. 10. dicit: *Ego pono animam meam... nemo tollat eam a me, sed ego pono eam a me ipso.* Supra quae verba D. Aug. Tract. 47. in Joan. introducit Christum dicentem: *Non gloriantur Judaei... saeviant quantum possunt, si ego noluerim animam meam ponere, quid saeviendo facturi sunt?* 2. Christus ipsa sua morte meruit, Joan. 10. *Propterea me diligit Pater, quia pono animam meam.* Et Hebr. 5. *Consummatus, factus est omnibus obtemperantibus causa salutis aeternae.* Atqui ad merendum requiritur libertas a necessitate simplici, ut definiit Innoc. X. ergo; &c.

Quaeres 3. *Quomodo Christi libertas circa mortem praeceptam, cum ejus impeccabilitate conciliari potest?*

Resp. Conciliari potest dicendo Christi libertatem in hoc consistere, quod potuerit dispensationem a Patre petere et obtinere si voluisset, quam tamen lubens ac volens non petivit, juxta illud Matth. 25. *An putas, quid non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum?* Sed qui dispensationem ab aliquo praecepto petere potest et obtinere, nec tamen eam vult petere, ad hujus praecepti observationem, vel non observationem, est maxime liber; ergo.

Objicies. Quando Christus dixit: *An putas quia non possum rogare Patrem, &c.* jam acceptaverat legem moriendi; ergo inde non potest concludi, quod dispensationem ab illa lege potuerit obtinere.

Resp. Dist. ant. Jam acceptaverat legem moriendi, et simul facultatem sibi reservaverat, dispensationem petendi ab illa lege, si vellet, *conc. secus, nego ant.* Id constat ex textu.

Inst. 1. Praeceptum quo quis sese liberare potest per dispensationem quam habet in sua potestate, non est verum et rigorosum praecceptum; atqui Christo fuit impositum verum et rigorosum praecceptum; ergo.

Resp. Dist. maj. Non est rigorosum praecceptum, si ab eo quis possit sese eximere auctoritate propria, *conc.* si sola auctoritate praecipientis, *nego maj.*

Inst. 2. Praeceptum rigorosum semper obligat sub culpa; atqui praecceptum, a quo quis potest dispensationem obtinere, non semper obligat sub culpa; ergo.

Resp. Dist. maj. Semper obligat sub culpa, vel ad rem praecceptam exequendam, vel ad obtinendam dispensationem, *conc.* semper obligat ad exequendam rem praecceptam, *nego.*

Quaeres 4. *Utrum Christus vere ac proprie meruerit?*

Resp. affirm. Ut fides docet: Hebr. 5. *Consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa* (uti- que meritoria) *salutis aeternae.* Trid. Sess 6. cap. 7. Christus sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justificationem meruit, et pro nobis Deo Patri satisfecit. Ratio est, quia in Christo reperiuntur omnes conditiones ad meritum de condigno, scilicet status viae, libertas arbitrii, sanctitas, et promissio ex parte Dei, *Isaiae 55. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaeuum.*

Quaeres 5. *Quandonam incoepit mereri Christus?*

Resp. A primo conceptionis instanti, Hebr. 10. *Ingre- diens mundum dicit: hostiam et oblationem voluisti . . . tunc dixi, ecce venio, ut faciam Deus, voluntatem tuam. . . in qua voluntate sanctificati sumus, per oblationem Corporis Christi semel.*

Objicies. Prius est esse quam operari; ergo Christus non meruit primo suae conceptionis instanti.

Resp. Dist. ant. Prius est natura, *conc.* tempore, *nego.* Unde potuit eodem instanti reali incipere esse et operari libere, ideoque mereri.

Quaeres 6. *Utrum Christus adhuc hodie mereatur?*

Resp. negat. Nam ad meritum requiritur status vitae: unde de seipso dicit: *Me oportet operari opera ejus qui misit me, denec dies est: venit nox quando nemo potest operari.*

Objicies. Hebr. 7. de Christo dicitur, quod sit *semper vivens ad interpellandum pro nobis.* Ergo adhuc meretur.

Resp. Nego conseq. Nam interpellat pro nobis, non de novo merendo; sed meritum in sua morte consummatum Deum offerendo, nobisque applicando.

Quaeres 7. *Per quosnam actus Christus meruerit?*

Resp. Per solos actus liberos humanitatis suae: ex quo D. Thom. hic *quaest. 29 art. 3. ad 1.* dicit: *Nec tamen per charitatem meruit in quantum erat charitas comprehensoris, sed in quantum erat viatoris.*

Quaeres 8. *Quid sibi Christus meruerit?*

Resp. Sibi meruit gloriam Corporis, et nominis exaltationem, Philipp. 2. *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem; mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, &c.*

Objicies. Corporis gloria et nominis exaltatio erant Christo debita ratione unionis hypostaticae; ergo, &c.

Resp. Nego conseq. Nam debitum naturale, et meritum inter se non pugnant; ergo duplici illo titulo Christus recepit gloriam Corporis, et nominis exaltationem.

Quaeres 9. *Quid nobis Christus meruerit?*

Resp. Nobis meruit 1. omnia dona gratiae, Rom. 8. *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quae est in Christo Jesu.* Unde Concil. Trid. sess. 6. cap. 5. *Declarat ipsius justificationis exordium in adultis a Deo per Christum Jesum, praeviente gratia, sumendum esse.* 2. Omnia dona gloriae, Rom. 5. *In vita regnabunt per unum Jesum Christum.* Quod etiam definitur in Conc. Trid. sess. 6. cap. 16.

Quaeres 10. *Quid Christus Angelis sanctis meruerit.*

Resp. 1. Non eis meruit gratiam et gloriam essentialem: nam 1. Non est mortuus pro ipsis, Hebr. 2. *Qui sanctificat, et qui sanctificantur, ex uno omnes.* *quam enim Angelos apprehendit, sed semen Abraham.* 2. Gratia, et consequenter gloria, decreta est Angelis ante praevisam Incarnationem.

Resp. 2. Angelis sanctis meruit quasdam illustrationes, et gaudia, aliaque dona accidentalialia. Nam Coloss. 2. *Christus est caput omnis principatus et potestatis, id est, Angelorum;* ergo aliquid ipsis meruit; atqui ipsis non meruit gratiam et gloriam essentialem; ergo. &c.

CAPUT IV.

De satisfactione Christi.

Quaeres 1. *Utrum Christus vere ac proprie pro nobis satisfecerit?*

Resp. affirm. Prout fides docet contra Socinianos: nam ad proprie dictam satisfactionem tria requiruntur, nempe 1. impositio poenae a superiore. 2. Ejusdem poenae voluntaria susceptio in inferiore. 3. Ejusdem poenae, loco rei, per veram subrogationem, persolutio; atqui 1. Deus oneravit Christum poenis peccato debitis, Isaiae 53. *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* 2. Christus illas poenas persolvendas in se suscepit, Galat. 3. *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum,* id est, punitionem nobis debitam in se transtulit. 3. Easdem poenas loco nostri, per veram subrogationem, persolvit, 2. Cor. 5. *Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit;* ergo.

Objicies. Si Christus pro nobis satisfecisset, 1. Debitum nostrum non fuisset gratis remissum. 2. Inanes et frustraneae essent nostrae privatae satisfactiones. 3. Innocens pro reo plecteretur, quod est contra aequita-

tem. 4. Deus sibi ipsi satisfaceret, nam Christus est Deus: atqui hoc repugnat; ergo.

Resp. ad. 1. distinguendo. Debitum non fuit gratis remissum, respectu Christi sponsoris, qui pro debitore solvit, *conc.* respectu hominis debitoris, cujus personale debitum in sponsorem transfertur, *nego.* Quod ergo Deus vadis et sponsoris solutionem personalem acceptaverit, fuit certe maxima benignitas, eaque censetur gratuita debiti remissio respectu hominis.

Resp. ad. 2. Nego sequel. Quia licet Christus omne pretium pro nobis solverit, ejus tamen merita non applicantur, nisi per bonas nostras actiones per gratiam Christi elicitas, nec Deus acceptavit satisfactiones Christi, nisi sub hac conditione.

Resp. ad. 3. Dist. Est contra aequitatem, ut innocens pro reo plectatur, si sponsor ejus non fuerit a Deo ipso constitutus, *conc.* si sponsor ejus fuerit, *nego.* Peccata enim rei quoad poenam censentur translata in sponsorem.

Resp. ad. 4. Nego ant. Ad prob. *dist.* Christus est Deus, simul et homo, *conc.* est Deus tantum, *nego.* Porro Christus ut homo, sibi ipsi satisfecit ut Deo, in quo nulla est contradictio.

Quaeres 2. *Utrum Christus satisfecerit ex vera justitia?*

Resp. affirm. Nam Rom. 3. dicitur: *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiae suae.* Et Coloss. 2. *Delens quod adversum nos erat chyrographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.* Atqui haec voces: *Ostensio justitiae, delens chyrographum,* sonant satisfactionem ex vera justitia; ergo. Quare D. August, lib. 13. de Trinitate, ait: *Non autem diabolus potentia Dei, sed justitia superandus fuit.*

Objicies. Inter Patrem et Filium non potest dari actus justitiae strictae dictae: atqui Christus ut Deus homo, est Filius Patris aeterni; ergo.

Resp. Dist. maj. Si Filius non habeat bona propria, *conc.* si habeat, *nego.* Filius autem Dei habet humanitatem, cujus est Dominus; ergo ex propriis potuit satisfacere.

Quaeres 3. *Utrum Christus satisfecerit ex justitia rigorosa?*

Resp. affirm. Nam satisfactio rigorosa definitur: *Redditio voluntaria honoris aequivalentis, ex propriis, et aliunde indebitis, ad compensandam injuriam alteri, per peccatum illatam;* atqui sex conditiones in illa definitione contentas habuit satisfactio Christi; ergo, &c. Nam:

I. Fuit *voluntaria*: Isaiae 53. *Oblatus est, quia ipse voluit.*

II. Fuit *aequivalens*, imo et *superabundans*. Nam 1. ex Psalm. 129. *Copiosa apud eum redemptio.* Et Rom. 5. *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia.* Ergo redemptio per Christum fuit superabundans. 2. Satisfactio Christi in genere moris est infiniti simpliciter valoris: nam ille valor petitur ex dignitate personae satisfaciendae, quae est illius principium *quod*; persona autem Christi est infinita simpliciter; ergo, &c.

Objicies. Christus satisfecit per actiones humanas; atqui actiones humanae Christi non sunt infinitae; ergo ejus satisfactio non fuit infinita.

Resp. Dist. min. Non fuerunt infinitae, quoad entitatem physicam, *conc.* quoad valorem moralem, *nego min.* Duplex enim fuit valor moralis in actionibus Christi *Theandricis*; nimirum radicalis et derivatus; *radicalis*, est ille qui petitur ab ipsa Verbi divini personalitate, in quantum est veluti pars pretii oblatis, ex qua et ipsa actione, unum quoddam morale coalescit, quod Deo in satisfactionem offertur. Hic valor est infinitus, utpote fluens a persona Verbi infinita. *Valor derivatus*, est ille qui petitur ab ipsa Verbi personalitate, prout habet rationem circumstantiae dignificantis actiones agentis.

Hic est etiam infinitus, utpote fluens ex unione hypostatica Verbi cum humanitate.

Inst. Ut valor radicalis actionum Christi sit infinitus, debuit persona Christi sese submittere et offerre; atqui persona Christi, utpote divina, non potuit sese submittere et offerre; ergo, &c.

Resp. Dist. min. Persona Christi secundum se sumpta, *conc.* hypostatice unita cum humanitate, *nego min.* Nam de ea sic considerata scribit Apostolus Coloss. 2. *Humiliavit semetipsum.*

III. *Satisfactio Christi fuit ex propriis bonis*: nam Christus satisfecit per actiones *Theandricas*; atqui actiones *Theandricae* erant sub speciali et absoluto Christi dominio, persona enim Verbi, utpote divina, sub nullo dominio jacebat, sive spectetur ut erat pars satisfactionis, sive ut dignificabat actiones satisfactorias; ergo, &c.

Objicies. Christus satisfecit in quantum erat homo; atqui omnia, quae Christus habuit ut homo, erant sub dominio Dei; ergo.

Resp. Dist. maj. Christus satisfecit in quantum erat homo et Deus simul. *conc.* in quantum homo tantum, *nego maj.* Suppositum enim Verbi et fuit pars satisfactionis, et actiones satisfactorias dignificavit.

IV. *Satisfactio Christi fuit ex bonis alias indebitis*: constat ex dictis: illud quippe est alteri indebitum, quod est sub singulari et absoluto Christi dominio; atqui, &c.

Objicies. Omnes actiones Christi satisfactoriae erant creaturae; ergo erant Deo debitae titulo gratitudinis, religionis, &c.

Resp. Dist. ant. Erant creaturae, quoad entitatem, *conc.* quoad valorem substantialem, *nego min.* Valor enim ille oritur ab ipsa verbi persona, quae sicut nulli subjacet, sic nulli quidquam debet.

V. *Satisfactio Christi fuit ad compensandam injuriam Deo per peccatum illatam.* Rom. 5. *Cum inimici*

essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus.

VI. *Satisfactio Christi fuit ad alterum.* Quia fuit ab ipsa Verbi divini personalitate, ut terminante naturam humanam; at personalitas Verbi prout terminat naturam humanam distinguitur non tantum a personis Patris et Spiritus Sancti, sed etiam a seipsa prout in divina tantum natura subsistit; habet enim naturam distinctam dominium distinctum, personam saltem virtualiter distinctam, ergo, &c.

Objicies. Satisfactio, quae a Filio exhibetur Patri, non est proprie ad alterum, quia Pater et Filius unam tantum, saltem moraliter, personam constituunt; ergo.

Resp. Nego maj. Ad prob. *dist.* si non habeant dominia diversa, *conc.* si habeant, *nego ant.* Porro Christus, prout est homo, dominium habet omnino distinctum a dominio Patris, ratione cujus personam virtualiter a Patre distinctam habet.

CAPUT V.

De variis Christi titulis et officiis.

Quaeres 1. **Q**uibus titulis insignitur Christus, ut homo?

Resp. In scripturis hi praecipue numerantur.

I. Est vere et dicitur praedestinatus, 1. Ad filiationem divinam, quia decretum fuit ab aeterno, ut Christus quatenus homo, esset in tempore Filius Dei, Rom. 1. *Qui praedestinatus est Filius Dei in virtute.* 2. Praedestinatus est ad visionem beatificam, quia praedestinatus est ad divinam filiationem, cui visio beatifica debetur, et ex qua sequitur.

Objicies. Praedestinatio refertur ad personam; atqui persona Christi non potest dici praedestinata ad divinam filiationem; ergo.

Resp. Dist. min. Persona Christi, prout in seipsa sub-

sistens, *conc.* prout subsistens in natura humana, *nego.* Licet ergo persona Verbi semper fuerit Filius Dei simpliciter, non tamen fuit semper Filius Dei, quatenus subsistens in humanitate assumpta, sed hoc acquisivit in tempore ex mera Dei liberalitate.

II. Est Filius Dei, non adoptivus, sed naturalis, ut definiuit Adrianus Papa et Concil. Francofordiense, contra Felicem et Elipandum. Nam 1. Scriptura Christum etiam, *prout est homo*, vocat Dei Filium, Rom. 8. *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Atqui non est traditus secundum divinitatem, sed secundum id, quod erat homo, ait Adrianus Papa; ergo. 2. In Concil. Francof. approbatus est Liber, qui inscribitur, *Sacro syllabus*, in quo dicitur: *Proprius Filius factus est ex muliere, non adoptivus.* 3. Filius adoptivus est *persona extranea quae per gratiam ad haereditatem assumitur.* Atqui Christus, etiam ut homo, non est persona extranea respectu Dei, cum sit ipsamet persona Verbi, quae est vere et proprie Filius Dei; ergo, &c.

Hinc Christus, etiam ut homo, nec est, nec dici potest *servus proprie*: nam servus proprie est is, qui non est sui juris, sed domini, ad cujus haereditatem et bona nullum habet jus; atqui Filius naturalis est sui juris, ac vi suae originis habet jus ad bona et haereditatem Patris; ergo.

Objicies. 1. D. Hilarius, lib. 2. de Trinit. ait: *Potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur;* ergo.

Resp. In textu Hilarii mendum irrepsisse in aliquibus exemplaribus, positumque, *adoptatur*, pro, *adoratur.*

Objicies 2. Christus habet formam adoptionis, nempe gratiam sanctificantem; ergo est Filius adoptivus: forma enim necessario producit suum effectum.

Resp. Nego conseq. Ad prob. *dist.* in subjecto capa-